

2  
INAUGVRATIO  
SERENISSIMI  
BALTASSARIS-CAROLI  
ASTVRIAET HISPA NIARVM  
PRINCIPIS.

SCRIBEBAT EAM EPHEMЕ.  
ridem in exterorum, & amicorum gratiā Vin-  
centius Turturetus, Philippo Magno  
à Domesticis Sacris.

DICABAT CONSOBRINO D.HIERONYMO  
Neapoli & Barresio, Principi Resuttanio, Toparchæ  
Alexandrino, &c. Equiti Conchæ  
D. IACOB.

Anno



Cum permisso. MATRITI.

Ex Typographia FRANCISCI MARTINEZ,

IN VAGABUDIO  
BALASSARIS CAROLI  
ASTURIÆ ET HISPANIAVM  
Principis.

Scriberebat à M. Epheme  
cav. d' Alcalá, T. P. y Q. M. d' Alcalá  
y Domínguez Sarmi.  
D. GABAT CONSORCI NO. D. HERONIMO  
Alcalá, & C. F. d' Alcalá Coches  
D. 1608.



Anno

Ex Typographia Francisci Martini  
Gutenbergi Martini

IN AVGVRATIO  
PRINCIPIS ASTVRIAЕ  
ET HISPANIARVM,  
*HOC EST,*

*SOLENNE SACRAMENTVM, QVOD  
in nomen Serenissimi Baltassaris-Caroli, Asturiæ &  
Hispaniarum Principis, more maiorum dixere Carolus  
& Ferdinandus Patrui, & Ordines Castella; nempe  
Antistites, Magnates, Procères, Procuratores Vrbium.*

*Nonis Martij, anno salutis restituta  
M.DC.XXXII.*

**Q**VAESITA QVAE PRAESCRIBO  
LVCEM AFFERENT NARRATIONI.

**Q**VANDO primùm Castellæ Reges filiuin primigenium, vel alium hæredem natum, & educatum in spem Regni Asturiæ Principem, ritu solenni, quem describemus, inaugurarunt?

Anno M.CCC. LXXXVIII. cùm Héricus Ioannis Primi filius nupsit Catherinæ Duci Lecestrij filię. Ita convénit cum patre novæ nuptiæ.

# INAUGURATIO

## II.

¶ Cur Asturiæ Principem vocarunt? An ab alio Rege Castellæ diverso titulo aliquando insignitus?

Ita vocarunt, quod ea Hispanię pars sit vetustissima portio Regni Castelle, & post vendicatam Hispaniam à Mauris, ea appellatio inter cæteras Regias sit æquè antiqua. Ioannes II. Henricum filiū Giennensem Principem appellavit.

## III.

Asturum Princeps quâ primū ceremoniâ à patre Rege inauguratus?

Rex filium primigenium in solio Regio sedere fecit: eiusdem caput pileo operuit, virgam auream tradidit, & Asturiæ Principem dixit,

## IV.

Quot Principes Asturię inauguati? Ex ijsdem quo Mares, quo Fœminas?

Viginti, nisi fallit me Scriptor peritissimus rerū Hispaniarum, ex quibus numeravi Mares quatuordecim, sex Fœminas; subiecta tabula eisdem representat,

Patres Reges, locum & annum in

augurationis.

ANNO M. CCC. LXVII. Huius annus Iovinus

Plinius gloria ubique Cæpere in Dicte Seculari glori. Ita

convenit cum istuc dies mense.

A s

Cm

Prin

PRINCIPES.	REGES PATRES.	LOCVS INAUGV-	ANNVS
		rationis.	
Henricus III.	Ioannes I.		1388.
Ioannes II.	Henricus III.		
Catherina.	Ioannes II.	Madrigalij.	1423.
Leonora.	Ioannes II.	Burgis.	1424.
Henricus IV.	Ioannes II.	Vallisoleti. Et reno-	1425.
		vatur sacramentū.	1432.
Ioanna, credita Henricus IV.		Matriti, & Lo-	1462.
Regis filia.		soyæ.	1430.
Alphonsus.	Ioannes II.	Cabeçony.	1464.
Isabella.	Ioannes II.	In diversorio Tauri-	1468.
	Isabella & Ferdin.	rum Guisandensum.	
Isabella.	Isabella & Ferdin.	Madrigalij, & Tolerti.	1476.
Ioannes.	Isabella & Ferdin.	Rege fratre morbo.	1498.
Michael.	Emanuel Ren Lusit.	Toleti.	1480.
	& Isabella Castel-	Ocana.	1499.
	la Princeps.		
Ioanna.	Isabella & Ferdin.	Toleti.	1502.
Carolus V.	Philippus I.	In Belgio.	1516.
Philippus II.	Carolus V.	Matriti.	1528.
Carolus.	Philippus II.	Toleti.	1560.
Ferdinandus.	Philippus II.	Matriti.	1573.
Didacus.	Philippus II.	Matriti.	1580.
Philippus III.	Philippus II.	Matriti.	1584.
Philippus IV.	Philippus III.	Matriti.	1608.
Baltassar Carolus	Philippus IV.	Matriti.	1632.

IN AVGVSTRATIO

V.

An Principes aliqui ihaugurati minorēs ætate, quā  
quā natus erat Serenissimus Baltassar Carolus?

Duos observavi: Philippum II, qui cùm anno 1528  
inauguratur, decem tantū menses & viginti dies na-  
tus erat. Ita postulabat Caroli V. bellicæ expeditiones.  
Alter fuit Ferdinandus eiusdem Philippi filius, cui an-  
no 1573 Ordines Castellæ iurarunt, & natus erat annū  
unicūm, menses quinque, dies viginti septem.

VI.

An præter Ordines Castellæ Principi inaugurando  
dicant sacramentum, & manum deo iacentur Regio  
sanguine progeniti, etiam si stent in linea ascendentium?  
Ita sit, licet cum aliqua differentia: & hoc obsequiu-  
etiam præstant fratres, sorores, patrui, amitæ, aviæ. Sic  
in Philippi Tertiij verba iuravit Maria Augusta eiusdæ  
avia. Philippo II. iuramentū dixit amita Leonora Gal-  
lia Regina, Caroli V. soror, Ioanna vero Lusitaniae Prin-  
ceps Carolo, & Ferdinando Philippi fratribus filijs.  
Sed hæ Regiæ mulieres iurarunt tanquam Castellæ  
Infantes.

VII.

An externorum Regum filij primigenij appellati  
sunt Principes alicuius ditionis?  
Vocati olim in Aragonia, Gerundæ Principes; in  
Navarra, Vianæ; in Anglia, Vvalliae; in Gallia, Delphi-  
ni; in Regno Neapolitano, Duces Calabriæ.

VIII.

Quid de hac re in veteri Aula Augusta?

Similis consuetudo viguit; cùm enim Imperatores  
post Augustum, Augosti dici voluerint, hæredes qui in

spem Imperij alebantur, Cæsares vocarunt, unde dicti: *Designati Augustæ Maiestatis hæredes.* Nec verum est hoc genus honoris novum fuisse sub Ælio Vero; nam hæredes Imperij iam ante à Cæsares dicti. Sic Drusus Tiberij filius in Germaniam à patre missus, Cæsar vocatus. Sic Titus & Domitianus, vivente patre, à Senatu Cæsares designantur. Sed ista alij in collectaneis Imperij.

## IX.

Quo dicendi modo apud Latinos declarata hæc cœ-  
remonia?

In veteri Republica Magistratus novus dicebatur iurare in leges. Sub Imperatoribus iurabant in verba, in nomen, in acta eorundem. Quod erat fidem præsta-re, Dominum agnoscere, quæ egerant, iussierant servare. In alio etiam sensu dictum: iurare in verba alicuius, cū scilicet non viritim iurabatur, sed unus aliquis cæteris iusiurandum præbat. Hinc *praiuratio, præfatio, & praire* sacramentum: quoties ergo secundum formulam ab aliо recitatam iurabatur, dicebāt iurare in illius verba.

## X.

Quid Homagium?

Idem quod Hispanè, *Pleito omenage;* cùm quis scilicet astringit se alteri ad aliquid præstandum. Est vox Græco-barbara, & derivatur à verbo Græco, ομηρος, idest, iuro, nō ab homine. Licet dicatur etiam *Hominium, & Hominatum.* Qui Homagium præstat, procumbit in genua, & coniungit manus. Ita iunctas inserit in manus illius, cui astringit suam fidem, in ea verba, quæ idem

solet præire. Formula habetur in libris  
feudorum.

# INAUGURATIONIS OCCASIO.



RAESENS status Religio-  
nis Catholice, Monachia  
Hispanæ, & inclytæ fami-  
liae AUSTRIACAE, pœnula-  
vit, ut PHILIPPVS IV. Or-  
thodoxæ fidei Astor Ser-  
renissimum BALTISSA-  
REM-CAROLVM nondum  
triumulum, unicam & pri-  
migeniam prolem, natum,  
atque educatum in spélm-  
perij amplissimi, Asturæ & Hispaniarum Principem  
more maiorum inaugurate. Retinenda erat huius  
audacia punienda illius perfidia: ad nodos Gordios in-  
famis foederis dissolvendos ipse met Rex Maximus, de-  
votum Deo & Religioni caput, Hispanum gladiū ex-  
serere cogitabat, imo perlungum habebat, quod adhuc  
propositum animo Regis Catholici, fixumque est. Igi-  
tur convocati sunt Castellæ Ordines, Antiflites scili-  
er, Magnates, Proceres, & Procuratores Vrbiū. Præ-  
celsere in Aula traductiones Principis inaugundi le-  
cticâ vebebatur (duos enim natus erat annos, mentes  
quatuor dies v'ginti præterpropter) Magnates, & Pro-  
ceres aliquot adequitabant. Hæc transvectio tacha est  
ad demerendos subditorum animos: quod in Hispania  
faciè impetratur; cùm nulla natio sit amantior, & ob-  
servantior (i) Domini.

*Dies & locus inaugurationis.*

Dies Dominicus, septimus Martij, & sacer D. Tho-

mæ Aquinat, solennissimæ celebritati deligitur. Locus  
verò Cœnobium Hieronymianum, ut sæpè aliàs : cui  
adhærent ædes Regiæ, sed modicæ. Pridie eius diei Rex,  
Regina, Princeps, Regij fratres CAROLVS, & FERDI-  
NANDVS, cum Gynecæo, & ministerijs Palatinis eç  
domo Regiâ discedunt, & Cœnobium ipsum petunt, in  
quo pernoctarunt. Cessere virti Religiosi cubiculis, quæ  
oppidum spectant, & imminent priori perystilio: angu-  
stæ erant ædes Regiæ contiguæ.

Qui adesse debebant, iubentur præfò esse hora octa-  
va matutina (mote Hispano, qui à media nocte horas  
enumerat) Milites Prætoriani, Hispani, & Germani,  
neconon Sarissiphori Burgundiones tenuère suas statio-  
nes. Sed dum sumus in apparatu, nō nisi undecima ini-  
tiū fecit celebritati.

*Regi in Templum discensus quo comitatu?*

TVM Rex per superiorem & priorem deambulatio-  
nē Cœnobij è contiguis & modicis eçibus descédit  
Templum petiturus. Precedebant de more Prætores  
Vibani, Pædagogium, & cæteri Aulici ab obsequio:  
deinde Prefecti, seu Maiores domus Regiæ, Proceres,  
& Magnates; postremus sequebatur Dux Albanus sum-  
mus Aulæ Præfectus, elevatum baculum gerebat insigne  
supremi ministerij Palatini: ibatque operto capite  
medius inter Fœciales, seu Caduceatores superindutos  
paludamentū pictum Regijs insignijs: hos verò præce-  
debant, qui deauratas, & prægrandes clavas gerunt in  
sceptri modum efformatas, quos proinde dixerim scep-  
triphoros. Sed Regijs personis nemo prorsus proximior  
præibat, quam Comes Oropesæ, nudato capite, nudatū  
ensem gerens, supremæ scilicet iustitiae symbolum, &  
denotantem vitæ, necisque in subditos potestatē, quā  
tamen Reges Hispani reconditam ferè semper habent

# I N A V G V R A T I O

in vagina, ea est populorum quies, & Principum clementia; sed munus gestandæ machæ: & contigit Comiti iure hereditario, ut mox dicam. Succedebant Carolus & Ferdinandus Patrui, qui Serenissimum & Amantis- simum nepotem BALTASSAREM-CAROLVM medium non tam gestabant, quam leviter trahebant utraque manica elegatissime vestis ad Principis talos demisse; vix enim pedibus tenellus Princeps consollebat. Elevatum oportuit eodem modo cum gradus erant ascendendi.

Rex sequebatur, ad cuius laevam Regina incessit innixa Ephœbo honorario: ponè veniebant Matronæ & Puellæ Gynecæi vestium varietate, & elegantia ornatisimæ; quarum syrmata gestarunt de more pucti honoratij, & brachijs circumvoluta.

Hac pompa personæ Regiæ cortinas ite Regias subière: Princeps in proximum, & ad id paratum cubiculum est deductus; reducendus peracto sacro, ne scilicet eisdem illi crearet solennitatis prolixitas, quæ duravit quatuor ferè horas.

## Templi ornatus.

Templi ornatus, & sedilium dispositio hæc erat. Patries vestiebant pretiosiora & elegantiora Aulæ, quæ in Regia supellestili adservantur; erant contexta filis sericis & aureis: ingens pretium adæquabant, artis textoriae prodigiū, nō tam si spectares materiam, quam si artem ipsam attenderes. Vix auderet peritus pictor penicillo depingere, quæ graphicè acus & radius expresserat. Referebant autem ipsa peristromata Apocolypses mysteria, Historiam Cyri, & Noëmi vitæ non brevem periodum, præter emblemata, symbola, phænoscemata, flosculos, aves, larvas & alia huius varietas temerariâ dispersione ad oras, & limbos adiecta. Area quæ contingit aram maximam constructo tabu-

bulato amplior est effecta : ad eam per quindecim gradus patebat ascensus. Ibi eret Regiæ cortinæ, datus locus Gynecœ, Antistiti sacris operanti, & alijs, qui ibidem sederunt, dum est litatum: legatis Principū, Prefectis Aule (Maiores domus Regis & Reginæ vocamus) viris Senatorijs, & Regi à Secretis, Facies & dispositio huius Regiæ Throni hæc erat.

*Descriptio Throni Regij.*

**A**D latus sinistrum ipsius aræ maximæ Antistiti sacris operaturo (is fuit Eminentissimus Cardinalis Zapata, supremus Fidei Quæsitor, tantarum ceremoniarum dignus Antistes) & Sacellani Regijs, qui illū facientem adiuvarunt, nō angustus locus patuit. Proxime intericto ostio, quod ducebat ad cubiculū, in quod Princeps secessit, & erat finem sancti præstolaturus) adstabat Dux Alvej, sed hic capite nudato elevatum tenens baculum insigne summæ Præfecturæ domus Regiæ. Comes Oropæ illi adhærebat, sed proximior Regijs cortinis, & iustinens macharam nudam ex familiæ prærogativa: est enim hereditario iure Castellæ maximus Apparitor, vel ut alijs placet, Iustitia major; ensis non levis erat, & Comes planè puer (novennis erat) & imbecillis, sed eo pondere quatuor ferè horas prægratus nullum expressit defatigationis sensum.

Sequebantur Regiæ cortinæ altiores & ampliores quam in Sacello Aulæ eriguntur; illas de more deduxit & reduxit Præfctus eisdem, dum tamen res divina facta est. Quâ peractâ, eius opera cessavit: nam sublatum fuit Lecterniū à Custode supelleculis Regiæ, & à Mætatore, & deductâ cortinâ anterior ex utroque latere: remansit posterius, & supernum velum, quæ usum amplissimi Vranisci præbuere. Ita cunctis apertum patuit Regium Solium, in quo personæ Regiæ hoc modo confedere.

# IN AVGV RATIO

## Sedes Regiae.

**R**EX in sella, Regina ad lœvam in tribus pulvinariis, vice suggestus: reclinabat humeros in quartum, quod sellæ (quæ etiam aderat, sed inversa) adhærebat. Carolus & Ferdinandus, ille Regis, hic Reginæ latus non tam claudebant, quam servabant. Sedebat quidem sed utriusque sella introrsum abibat, unde Regias sessiones non æquabant. Princeps vero trimulus cum tēp̄as poposcit, ante Regios patētes in sellula sedet a medio calthris, seu cācellis circumsepta, cui etiam loculamēta aptaverant, in quibus pupulæ, & alia infantū crepundia reposita, ut nimiram prolixæ solennitatis cædiū puerulo levarent. Sed nullum usum habuere, cum supra statim, supra fidem imperturbatus steterit; nō risus, non ploratus, nō gestus alij pueriles infantiam dixerit. In summa tam ipse seriam induit personam, quam Regiam Deus dedit & parentes. Pileolo opertus semper, ensiculū gestavit. Thronum ipsum Regium sequebantur Matronæ & Puellæ Gynecæi in solo tapetibus operto sedebant: elegantia, & varietas vestium, ut dixi, compritus, & ornatus capitū talis qualis diem decebat, & elegantiissimas puellas.

## Antistites.

**D**exterum cornu aræ maximæ attingebant & occupabant Antistites, sedentes eo ordine, quem dedit tempus consecrationis: omnes tamen loco & honore anterior D. Alphonsus Peresius Guzmanius Patriarcha Indianorum, summus Aulæ Sacellanus, & æris Eleemosynarij distributor: inter quem, & Episcopos fuit per aliquot dies agitata controversia de sessione & proœdria, cui scilicet deberetur, sed antecessit loco, qui omnibus prævivit rei divinae accurata diligentia, & pervigili administratione. Sequebatur proximus Archiepiscopus

Gra-

Granatensis, Castellani supremi Senatus Gubernator; deinde Conchensis, Prætes Consilij Aragonici, quem excipiebat Placentinus titulo tenus, nam Sacerdotium eluraverat, honorem tamen retinebat; post quem Legionensis designatus Palentinus, Guadicensis, Ovetensis. Hic fuit locus Antistitum dum sacrum celebratur. Quo peracto, ad ordinum sedilia descenderunt.

*Præfecti domus Regiae.*

**A**ntistites sequebantur Præfecti domus Regiae, Maiores domus vocamus, tam qui in Orbem præsunt Regis, quam qui Reginæ officijs Palatinis. Sed statè, & capitibus nudatis innixi tantum suis baculis, quos gerunt pro insigni, & utrinque in extremo inclusos & alligatos argento fabrefacto: antiquitas in ministerio locum designavit. Ex iisdem Comes Orgasius mandata Regia excipiebat, & ad solennes cæremonias quasi eafundem Magister, quos opus erat, vocabat, instruebat.

*Legati.*

Præfectos Regiæ excipiebant Legati Principum, sedentes ut in Regio Sacello: Pontificius, Gallus, Venetus; Cæsareus aberat: ceteris hæc prærogativa nō conceditur.

**L**egatorum latus cludebant Senatores Regij, sed stantes, & tanquam testes soliti adhiberi. Adfuerit enim aliquot vocati ex supremis Consilijs, sed nō omnibus: Castellanum misit Senatores, quos cubicularios vocat, Hispanè *de la Camara*; ex reliquis eiusdem Regij Senatus duos, Aragonium item duos, totidem Italici, par numerus venit è Lusitano, unicus ex Belgico: omnes in proprio Senatu antiquiores. Hic incidit lis de loco

# INAUGURATION

loci intet Secretariu*m* Cubiculi, Hispanè etiam *dela Camara*, & aliquot Senatores; voluit stare post Castellanos, & antecedere reliquos, sed stiparunt isti corpora, & Ipatio excluserunt, pro quibus fuit iudicatum. Vnde illi datus locus extra ordinem, seu chorū, tametsi quid fieri in posterum deberet, amplius esse deliberādum, sit statutum. Terminabant hanc scenam Scribæ Senatus Castellani & Palatini, qui omnes celebritatis particulas in acta referebant.

## Fœciales, Sceptriphorī.

**A**Tque hæc erat facies, & dispositio solij Regij, & superioris tabulati tapetibus cooperti, à quo ad Templi imum pavimentum per quindecim circiter gradus descendebatur: ipsorum graduum latera occupabant Fœciales quatuor, & tocidem Sceptriphorī, qui clavas prægrandes argenteasque & inauratas super humeros elevatas sustinebant, utrinque dispositi bini & bini.

## Sedilia ordinum.

**I**N ipso imo pavimento, & per utrumque Templi latu*m* sedilia longo ordine se porrigebant, & amplissimi confessus speciem referebant: instrata erat tapetibus. Partem dextram occuparūt Antistites, ad quam se cōculere post factam rem divinam: sinistram Magnates. Vbi desinebat uterque hic ordo, & ex utraque parte sequabantur cæteri Proceres Castellæ, & Vrbium Procuratores. Inter Antistites (si demas Patriarcham Indianum, qui ut suprà dixi, hic etiam locum principem obtinuit) prærogativa loci, & sessionis, & iuramenti exhibēdi ex inaugurationis antiquitate apparuit. Nalla fuit inter Magnates, neque inter reliquos Proceres; quam tamen servarunt Procuratores ex dignitate Vrbium, quæ eisdem allegarunt. Contatio inter Burgenses & Tole-

tanos eadem quæ aliæ; ut & modus quo sedata, sed hæc posterius. Magnatum & Procerum filij qui decimū mī-  
quattum ætatis annum peregerant ad dandū sacramentum: sederunt inter ipsos Proceres, inter quos etiam filij primigenij Magnatum. Peragitur sacrū Pontificali apparatu eaque maiestate, quę decebat celebri-  
tatem diei, & Antistitem facientē. Is, ut dixi, erat Emi-  
nentissimus Cardinalis Zapata, supremus Fidei Quæsi-  
tor, qui si unquam eo die maximè splendoris dedit, cō-  
sueta documenta. Satellitum vestivit holoserico da-  
masceno, purpurei coloris, pallium datū omnibus à pur-  
pura aureis torulis distincta.

*Regressus Principis ad solium.*

**F**inito sacro, Princeps è Cubiculo proximo Regijs cortinis, in quo præstolabatur sacri finem ad corti-  
nas eisdem Regias reditur, teditq; ut supr̄a est de-  
scriptum, donec Cardinalis exuit casulam & cappam  
induit. Inde sistitur Princeps ad aram maximam dedu-  
ctus ab utroque Patrio, & susceptoribus Catolo & Fer-  
dinando. Ritu & cæremoniâ consuetâ inungitur oleo  
chrismatis ab eodem Antistite. Cætera officia decenter  
præstitit Patriarcha Indiarum summus Aulæ Sacella-  
nus ut caput tenelli Principis fasciā alligare, & oleum  
abstergere micā panis; adstabant reliqui Antistites. Cu-  
rio Aulæ & Sacelli Receptor, ille sacrum oleū, iste pa-  
nem gestavit, alijs Aulæ item Sacellanis alia ministe-  
ria data, candela, mantilia, polubrū. Principi, quasi om-  
nia esset præmeditatus, nihil novi accidebat: candela,  
cum fuit offerenda, manu prensat & offert. Astantes læ-  
tus stupor, Regios parentes gaudium percellit.

His peractis Cardinalis ita ut erat induitus, consider-  
paulo subter aram maximam. Mensa sternitur, in qua  
Evangeliorum liber apertus, supra quem Crux Domini  
im-

imposita. Antistites è superiori tabulato descendunt; rectaque prius decenter inclinatis ad Regium soliū corporibus destinata, ut bis dixi, sedilia imi pavimenti, dextrae lateris suo ordine petunt, occupantque.

*Praetio iuramenti.*

**T**VM Foecialis antiquior silentio imperato, & ad ordinis conversus adstantesque contenta voce iubet omnes esse attentos ad ea, quæ ex prolixiori scripto cōsent audituri, & pertinentia ad sacramentum Principi exhibendū. Quo locuto Senator Castellanus antiquior, & è Consiliarijs Cubiculi scriptum ipsum non breve protulit, & ad solium Regium prius se inclinans altā item voce legere incepit. Scripti summa hæc erat Carolum & Ferdinandum Regios fratres, & Castellæ Infantes, praesentes Ordines unanimes & concordes Serenissimo Battagliari-Carolo iuriurandum dare, eundem agnoscere Principē Hispaniarum, & Regnorum unitorum, dum parens Philippus IV. vixerit, eo verò mortuo Regem & Dominum. Hoc iuramentum non coactos, non invitatos, sed voluntate libera, & spontanea exhibere, qui ut clientes fidei amantesque subditifudem & obsequitum ut supremo Domino senper probabunc, ea que omnia more maiorum. Qui secus fecerint, pœnas dabunt, & luent exsolvendas à perfidis, & perjuris olenne ipsum sacramentum homagium dictum, dicent ea formula, quam præbit Dux Alcalæ, quem ad id præstandū Rex elegerat. Haec tenus Senatoris verba. Sed Dux omni laude cumulatissimus præter hoc honotificientiè genus quod in tanta celebritate maximi sit, & à summatibus ambitur aliud beneficētia Regie munus die præterito reportarat. Regis beneficio decreta illi fuerat Sicilia, non abdicato titulo Proregis Neapolitani, cuius præfecturā gerebat. Bonum factum, & Sicilia, numera hunc diem lapillo meliore: cädidus tibi illuxit, & licet dicaris Solis insula, nescio an vi deris

deris nitidiorē. Saturni aurea secla non requires: current  
gemmea. Reconde in tua borrea hunc fructum Regiae liberali-  
tatis. Beaberis feiciūs, luculentius ditaberis, qualibet tua messa  
fertilissima. Latinè te alloquor, non Panegyricè. Dux pro-  
inde Fœcialis voce iussus fuit ascendere, ut in eius manus  
ordines homagium præstarēt, eāque formulâ & ritu, quem  
mox subdam.

*Infans Carolus iurat, & præstat homagium.*

**V**erūm prælectā abs Senatore iuramēti formulâ, in eius  
verba incipiunt Principi iurare. Qui primus accessit,  
fuit Carolus Patruus. Is enim primus prodijt ē solio Re-  
gio: sittit se ad extremam oram tabulati; Aræ maximæ se  
inclinat, deinde Regi & Reginæ, tum ad Cardinalem Za-  
patam sedentem, & sacris vestibus induitū accedit, & ge-  
nusflexit, à quo hæc audit: *Altitudo vestra iurat tactis sanctiis  
Evagelīs, & Cruce Domini se facturū, servaturum omnia, que  
in prælecto scripto iurisiurandi continentur? Sic illum Deus ad-  
iuvet?* Respondit: *Ita iuro, Amen.* Surgit, & discessurus incli-  
nat se iterum Aræ maxime, deinde rectā se conserit ad Re-  
gem fratrem, & in genua procumbens, præstat homagium  
hoc ritu: iunctis manibus, & in manus Regias inditis hęc  
promittit, quæ Rex præbat. *An semel, bis & ter; semel bis &  
ter; semel bis & ter, more & consuetudine Hispana homagium  
concipis, & quod in prælecto scripto est recitatum, iuras præsta-  
re & servare?* Respondit: *Ita iuro, Amen.* Tum ad Principem  
accedit, ante quem genuflexus, manū deosculat ur. Iterū  
Regem adit, & flexis genibus manū etiam petīt deoscu-  
landam, quam vix concessam, Rex collo iniecit peraman-  
ter. Ad Reginam pergit, quæ surrexit advenienti, & suscep-  
pit gratulabunda: vult Carolus idem reverentiæ signū ede-  
re, dexteræ scilicet deosculationem; manū poscit, sed nō  
imperat, & certatur de obsequio. Planè Carolus in hac  
actione omnium in se oculos cōvertit. Indoles Austriaca,

# IN AVGVRATIO

ut in eo cluxit quanta in ore gravitas, quam  
cōpositus aspectus in itione, & reditione ad Cortinas Regias, transitione ante Regem fratrem, & nepotem Principem, quam compositae animi, & corporis propensiones, inclinations! Proludium dignum tantâ celebritate.

*In fan's Ferdinandus.*

**E**xcepit cēremoniam Ferdinandus, & pari maiestate; de qua nihil detraxit modesta verecundia: non modò purpureus color in vestitu, qualis decebat Cardinalem, vultus etiam purpuratus amoris signa, & latitiae spicabat. Omnia vero floridū agebant. cuncta rite, & decenter præstiterit, que Carolus frater: cum Rege & Regina de obsequio etiā certatum: à qua manum deosculandam nō impetravit, & neque à Rege, quod Cardinalis Princeps tenellus in accessu Ferdinando manum non porrexit, sed expandit brachiola, quasi advenientē amplexurus: que res omnes gaudio perfudit, & favorabilem clamorem excitavit. Hac promulside animos spectantium exhilaravit: edoctus ita fuerat, ut accedentes patruos ulnis exciperet, manum non porrigeret. Sic iurarunt, & homagium præstiterunt Regij fratres Carolus & Ferdinandus. Quo facto, remota est Crux, quam sunt deosculati, & alia sacro sanctis Evangelij est imposta: quod ubi effecit Patriarchalndiarum descendit ad Ancestrites.

Dum Regij fratres antedicta obsequia detulere, omnes, quibus erat ius sedendi, ut Ordines, Legati, Gynecæi Puellæ & Matronæ, steterunt: Regina cum uterque Regi præstiterit homagium initio surrexit; sed dum Carolus concepit utrumque sacramentum Ferdinandus semper stetit, cui ille eandem reverentiam repperit.

*Episcopi iurant.*

Tum Fœcialis elata voce, & Hispano sermone Episco-

pos

pōs accedere, non tam imperat, quām invitat : *Episcopi accedite ad sacramentum.* Quo auditio initium accedendi fecit Patriarcha Indiarum, & summus Aulæ Sacellanus, deinde alij, ordine, quem descripsi in sessione. Ante Cardinalem Zapatham genuflecebant, & tactis sacrosanctis Evangelij, cū deosculatione Crucis in hæc verba, quæ Cardinalis patro sermone singulis præbatur, iuriandum exhibebant.

*Iuras præstare & servare quicquid è scripto recitatū audisti, sic te Deus adiuvet, & bæsancta Dei Evangelia?* Respondebat Antistes : *Ita iuro, Amen.* Hinc procedebat ad hominem præstandum iunctis manibus, & inditis in manus Ducas Alcalæ, qui in hæc verba, & Hispano etiam idiomate eosdem singillatim interrogabat : *An semel bis & ter, semel bis & ter, semel bis & ter, more & consuetudine Hispana bo- magium exhiberet, & quæ è scripto andierint promitterent ser- vare & præstare?* Respondebant : *Sic iuro, Amen.*

Dux ipse Fœcialis voce, ut antedixi, ad id munus vocatus fuerat, & Cardinali Zapata paulò remotior adstabat, ante quem tamē in genua nemo procubuit, licet sacramentum exhiberet. sed Antistites post præstitū utrumque hoc iuramentum ad Regium solium se conferebant, & venerabundi Principis manum deosculandam accipiebant. Regē deinde & Reginam adibant, idem observantia & subiectio- nis signum exhibituri, sed abnuebant, & manum non per- mittebant ( ut neque alijs Sacerdoti inferioris ordinis ) ob reverentiam adversus Ordinem consecratum.

### Magnates XII.

**E**xpeditā Antisticum cæremoniā, iterū Fœcialis incla- mat, & eadem formula: *Magnates accedite ad sacramentū.* Primus prodijt, ita ut sedebat, Comes Olivarius, Dux de Sanlucar, qui Regi Maximo (Regi & supremæ voluntatis observator) tantæ Imperij, & negotiorum moli sustinendæ succedaneos humeros novus Hercules accōmodat: verè

*Proxima cervix, pôderis immensi. Cultus Comitis erat is, qui decebat ministerium Palatinū, quod exercebat, hoc est, summam Prefecturam Regij stabuli: ocreas albas & perpolitas induerat, calcaria pedibus addiderat. Subsecuti sunt reliqui Magnates. In eundo & redendo propensiones & inclinaciones corporis erant spectandæ. Prima & pia veneratio erat ad Aram maximam, altera ad solium Regium, & Regis personas: tum Matronas & Puellas Gynecæ, in transitu demum Legatos Principum salutabant. in Cardinalis & Ducis Alcalæ verba iurarunt ritu & ceremoniâ quam Antistites. Ad Regium solium deinde ibat de osculatu- ri Principis manum, tum Regis & Reginæ. In eundo & redendo gestus facti, ut dixi, & compositi ad omnem reverentiâ. Rex singulos accedentes, atque eâ, quam par est, obser- vantia gratulantes benigne excipiebat, aliquos cōpellabat.*

### *Proceres XLII.*

**P**Ostquam Magnates suum obsequiū detulere, Fœcialis Proceres venire iubet. *Accedite Proceres: qui ex dignitate loci quem fortè occupatunt, accessere, & sicuti Magnates utrumque solenne sacramentum dixeré. omnes testatā reddere volebant ore, & oculis animi indicibus lētitiam huius diei, quam mente conceperant. Proceres aliquot li- cēt in Aula morarentur, neutrum sacramentum conce- pere, quod inter Magnates recenserit, & sedere vellēt. Vnde abfuere à cæremonia solenni, ne officerent suo iuri & familiæ.*

### *Procuratores XXXIV.*

**P**Ost Proceres iubentur adesse Procuratores Vrbiū: duos allegat quælibet Civitas: venerunt bini & bini ex Civitatis prærogativa: quam tenent etiam in sessione. Initio inter Burgenses & Toletanos (nota est contentio in- ter utrosque de Regia & Regni capite) de loco principe est certatū. Certatim ivere ad iuramentum dandū; licet Bur- gen-

genses dextrum latus semper retineret. Sed dum Regias personas venerantur, Rex ad contentionem, ut moris est, de-  
termendā: *Iurent Burgenses*, inquit: *Nam Toletani faciēt quod ipse iussero*. Isti hoc auditio; dictis Regijs acquevēre, & ad sedes suas reversi, cæteris etiam de loco concessēre, & eo iurarunt, quem mox dicemus.

*Praefecti Aula XI.*

POST Urbium Procuratores accessere ad iuriandū Praefecti domus Regiæ, tam qui Regis, quam qui Reginæ officijs Palatinis præsunt; priores Regis; posteriores, Reginæ, accessere, ordine quē designavit antiquitas ministerij. Veniebant suis baculis innisi piā animi, & corporis propensione. Hos exceptit Dux Albanus summus Aule Praefectus, deinde Comes Oropesiensem tantisper tradens uni ex Cubicularijs Regis, qui fuit Comes S. Stephani. Sed Comitem ipsum Oropesiæ, quia impubes à sacramento ætas arcebat, indulgentiâ tamen Regiâ iuravit. Gladium debuerat interea sustinere Marchio Leganesius, ut Subpraefectus stabuli Regij. Sed intentus equis, & rhenis disponendis ad regressum in Aulam non potuit vicarium illud munus exercere. Omnia postremi fuere Procuratores Toletani, cuncti in manus, & verba Cardinalis, Ducisque iuramentū, & homagium dedere. Sed restabat Dux ipse Alcalæ, cui omnes designatione Regis sacramentum exhibuerat. Hispano more homagium, ipse adhuc nemini. Iuramentum primum Cardinalis potuit exigere, alterū recipere debebat Comes de Oropesa, cui ea prærogativa debetur iure hereditario, sed ætas fuit impedimento. Vnde Comes petierat, ut hoc munus Duci Albano gentili & consanguineo iniugaretur, ne generis prærogativa, vel unicâ vice (& cū causa) ad aliam familiâ delata assereretur. Annuerat Rex: unde Dux Alcalæ in verba Ducis Albani iuravit, tenens manus iunctas, & inditas manibus alterius. Post utrumque iuramen-

cum Dux idem Principi, Regi & Reginæ obsequia detulit,  
quæ honoris officia grata sibi fuisse cū anteacto munere be-  
nigno loquaciū oculorū nutu utriusq; maiestas declaravit.  
*Cardinalis Zapata iurat.*

**V**erūm Cardinalis Zapata factis operatus neutrū sacra-  
mentū exhibuerat: ut utrumq; daret, Pōtificales vestes  
exuit; induit se simili apparatu D. Alphonsus Peresius Gus-  
mani, Patriarcha Indianum, & summus Aulē Sacellanus:  
cui Cardinalis iuramentū p̄ficit, homagiū verò Duci Al-  
calæ, in verba quæ ambo p̄ravere, & omnia peregit, quæ  
reliqui Antifites: cū hac tamē differentia, quod post deos-  
culatam manum tenelli Principis, à Rege cūm illum adiit  
in accessu & recessu, transituque aperto capite salutatur,  
Regina adsurrexit venienti; manum utrique voluit deos-  
culari, sed non obtinuit à Rege; licet extorserit à Regi-  
na. Regis & Reginæ humanitas cum obsequio Cardinalis  
certarūt, qui cūm sit urbanissimus & lepidissimus, postquā  
Regi & Regiæ proli prospera est precatus, sibi etiam, licet  
septuagenario maior pollicitus est longiorem ætatem, ut sci-  
licet quæ eo die tenellum Principem inaugurarat, sacroq;  
oleo inunxerat, procedētibus annis lectissimæ sponsæ ma-  
trimonio copularet, natosque ablueret fonte lustrali.

Denique ad Regem accessit Secretarius cubiculi me-  
dius inter duos Graphiarios Regni, quem patrio ser-  
mone in hęc est allocutus. Probatne Maiestas vestra, sus-  
cipitque sacramentum & homagium, quod Infantes Carolus &  
Ferdinandus, Antifites, Magnates, Proceres, Procurato-  
res Urbium dederunt in nomen & verba Serenissimi Baltasa-  
ris-Caroli, ut Hispaniarum Principis, dum Maiestas vestra fe-  
licitissimè & diutissimè vivet; postquā verò vivere desierit, ut Re-  
gis legitimi, & horū Regnorū Domini? Iubet etiā huius rei syn-  
graphas assertorias reddi urbibus, oppidis, pagis quæ illas petier-  
int? Tū petit codicillos dari, quibus absentes ad idem sasramē

rum concipiendū adigātur? Rex respōdit: *Ita probo, mādo, peto.*  
 Atque hic tandem solennitatis & rituum finis fuit. Duravit celebritas, ut dixi, quatuor fermē horas: tenellus Prīceps nondum trimulus semper serius, quod vix fuit credibile non intuenti⁹.

*M. orat Reversio ad Aulam.*

**E**odem die è Cœnobio Hieronymiano reversum ad ædes Regias: viā quæ rectā ad illas ducit, exornata fuic aureis & ferīcis peristromatis, quæ è podijs è pergulis depēdebant. Præcedebant Pueri honorarij equitantes, Procuratores Vrbium, Iudices urbani, Proceres, Magnates: Antistites non adfuere. In rheda, quam sex equi maculis bi colores trahebāt, Regina sola vehebatur: ad dexterum latutus Rex adequitabat: sequebantur Regij fratres Carolus & Ferdinandus, hic mulo vectus, ille generoso equo. Pedibus incedebat honoratiores è Palatinis, maximè qui equili Regio dant operam, & cum ijs Pædagogij Regis & Ferdinandi. Princeps ponè veniebat in lectica aureis pannis cooperta cum Heroina Olivarenſi, & Comitissa Salva terræ, à qua gerebatur in ulnis. Olivatēsis sedebat è regione. Omnia ad lætitiam & hilaritatem personabant: claudebant agmē rhedæ, quibus Matronæ & Puellæ Gynecæi vehebantur: adequitabant verò, qui Aulico & urbano more Puellarum Aulicarum obsequijs se mancipant. In vestiis bus quas induerunt Puellæ Palatine, elegantia & magnificētia tenuit suum regnum: opere phrigio filis aureis distinctæ conspiciebantur, sed viroſū elegantes potius quam sumptuose apparuēre. Ita voluit Rex frugalissimus: & leges sumptuarias, quæ uestes acu pictas, vētant, neque in tanta celebritate permisit antiquari. Cœlum favit solennitati: nullus dies iucundior: circa occidentem solem aër visus perturbari, sed continuit plusculū aquæ, donec Rex & comitatus Aulam est ingressus.

## Decursio.

**S**Vbsecuti sunt publici & compitales ignes. Sequētibus noctibus flos Procerum, & Magnatum tribus locis larvatis & divisi in contubernia decurrerūt in area Palatij, plateæ majoris, & Regij Parthenopei, in quo virgines degunt, quas à nudis pedibus appellamus. In Satellitio multorum numerus, & varietas vettium plausibilia fuere. Magnâ & mirâ prorūs omnium industriâ. Fulgentes phaleris equos generosos ( Hispanos dicere sufficit) regebant frænis, urgabant stimulis. sed potius in speciem, quâm quod artem equorum innata virtus postularet: in decursu vix terram tangere videbantur. Hoc ad terminum propinquante, iste claustris erumperebat, ille se cursum præparabat: unius finis principium alterius erat: colluentes faces gestabant famuli decurrentium, quæ diem reddebat.

In tanta Procerū claritate, qui in descripta solennitate, decursuque, & in omni pompa cultissimi int̄erfuere; neminem appellare suo nomine fuit consilium. Nā cunctos erat prolixum, & excessisset fines narratiunculae; paucos invidiōsum, & iuste conquererentur prætermissi quasi indigne, & iniquè factum. Abstinui etiā à nomenclatura omnium, qui sacramentum conceperunt, quòd eam subīsciat narratio Hispano sermone conscripta: qui tamē velit sūmam inire, enūmerabit Infantes II. Cardinalem I. Patriarcham I. Archiepiscopum I. Episcopos V. Magnates XV. Proceres cum filijs natu maximis XLII. Prefectos Aulæ XI. Postceret etiā homo curiosus alia minutiora, & præter nomina vestitus vellet, & satellitia descripta, aliasque Aulicas & urbanas elegantias. Mihi non licet esse prælior: inaugurationis ritum & cæmonias in exterorum & amicorum gratiam scribere volui, pro dignitate non potui, tametsi cum de rebus agitur ab ostētatione submotis, quid dicatur.

Specandum sit, non quali cum amoenitate dicatur. Arribius  
aiebat lib. 1. adversus Gentes,